Dissertatio de dea salute, in qua illius symbola, templa, statuae, nummi, inscriptiones, exhibentur, illustrantur / [William Musgrave].

Contributors

Musgrave, William, 1655?-1721.

Publication/Creation

Oxonii : L. Lichfield for P. Yeo, Exeter, 1716.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/yq6nn5nr

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO
DE
Dea Salute,

IN QUA

Illius Symbola, Templa, Statuæ, Nummi, Inſcriptiones,

Exhibentur, Illuſtrantur.

Auctore
GUILHELMO MUSGRAVE, G. F.
è Collegio *Exonienſi*.

Ὄμνυμι Ἀπόλλωνα ἰήτερον, καὶ Ἀσκληπιὸν, καὶ ΥΓΕΙΑΝ. *Hippocr.*

Henr Hofsnider.

OXONII,

Typis *Leon. Lichfield*, Impenſis *PHIL. YEO*,
Bibliopolæ *EXON.* Anno MDCCXVI.

Imprimatur,

Apr. 25. 1716. *JO. BARON*, Vice-Canc.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Optimo & Inluſtri

BARONETTO

HUGONI ACLAND,

e Collegio *Exonienſi*,

Domus ſui Cognominis, apud *DUNMONIUM*

Antiquæ, Piæ, Felicis

Coryphæo;

Studiorum has Primitias, &

ΥΓΙΑΙΝΕΙΝ,

ex Voto ſuſcepto,

Auctor.

PRÆFATIO.

SI *cui mirum videbitur a me* Salutem *in Deorum numerum referri, atque adeo Literis celebrari, pro me respondebit* Telesphorus, *cujus hanc Querelam pronuper audire visus sum; nempe* Æsculapium, Apollinem *& omnem Deorum Dearumque in* Parnasso *chorum ægre tulisse, quod dum* Febris, *dum* Podagra *divino culta sit Honore, doctorumque hominum scriptis celebrata,* Salus, *quæ Morbis omnibus longe anteponenda est, dudum a mortalibus sit neglecta, & quasi Deorum choro exclusa. Næ ille inauspicato,* Θεόπαις *inquit, aggreditur Medicinam, cui nullo* Salus *est in pretio. De hac re, tamquam in Somno, monitus, ne pedem in ipso studiorum limine offenderem, & Deos haberem iratos, protinus Libros, Lapides, Numismata, quotquot ad manus essent, excussi;*

quæ-

quæque de Salute *invenerim, in unum ea collegi: Unde Dissertatio qualis qualis hæc exorta.*

Sed neque Viris Eruditione claris ingratum munus obire me confido, quando Sapientiæ professoribus nihil unquam antiquius, nihil carius, quam Mens sana in corpore sano: *ea Senatus, ea Fori momenta, ea domi militiæque, ea belli pacisque geruntur omnia. Quæ cum ita se habent, non est quod admiremur, Symbolis* Salutem *magnifice a veteribus indicari, Templis honorari, Statuis decorari, Nummis illustrari, Inscriptionibus insigniri; de quibus in Dissertatione plenius, utinam pro rei dignitate satis!*

At, o Benevole Lector, faveas, Te precor quæsoque, Fœtui nostro tam pusillo tenelluloque; quandoquidem ei nihil magis in votis, quam ut Tu bene valeres.

DISSERTATIO
DE
DEA SALUTE.

CAP. I.
Introductio.

TANTA eſt, in Theologia Gentili, Deorum Multitudo, ut facile Res antiquas pertractanti aparuerit, non ſolum quamlibet Nationem, ſed Civitatem, Domum, Locum, imo unumquemque pene Hominem, ſibi Deum finxiſſe; Verum quidem a pleriſque, qui de hac Theologia ſcripſerunt, eundem ſupremum Deum pro variis ejus Humano Generi beneficiis, ſub variis nominibus, fuiſſe cultum, conceditur: Et hoc comprobari videtur ab illo (1) Stoico, qui *tot Dei*, ait, *Appellationes poſſunt eſſe, quot munera.*

Ob hanc cauſam Antiqui, magna reſpicientes *Sanitatis* dona, eam etiam, haud immerito, in Deorum numero poſuerunt: hinc apud (2) *Athenæum*, *Critias* περπνοτάτιν θεῶν θνητοῖς, *acceptiſſimam inter Deos hominibus*, vocat; hinc (3) *Terentius*

Ipſa, ſi cupiat, Salus,
Servare prorſus, non poteſt, hanc familiam.

(1) *Seneca* de Beneficiis, Lib. IV. Cap. 7.
(2) Deipnoſophiſtarum, Lib. X.
(3) In Adelphis, Act. 4. Scen. 7.

Et

Et hinc *Ariphronis Sicyonii*, (1) εἰς Ὑγίειαν Παιᾶν,

Ὑγίεια πρεσβίστα μακάρων,
Μετὰ σοῦ ναίοιμι
Τὸ λειπόμενον βιοτᾶς·
Σὺ δὲ μοὶ τοῦφρων σύνοικος εἴης.
Εἰ γάρ τις ἢ πλούτου χάρις, ἢ τεκέων,
Ἰσοδαίμονός τ' ἀνθρώποις
Βασιλήϊδος ἀρχᾶς, ἢ πόθων,
Οὓς κυφίοις ἀφροδίτας ἄρκυσι θηρεύομεν,
Ἢ εἴτις ἄλλα θεόθεν ἀνθρώποισι τέρψις,
Ἢ πόνων ἀμπνοὰ πέφανται·
Μετὰ σεῖο μάκαιρ' Ὑγίεια
Τέθηλε πάντα, καὶ λάμπει χαρίτων ἔαρ.
Σέθεν δὲ χωρὶς οὔτις εὐδαίμων.

Cui Doctissimi *Sennerti*, *Wittebergensis* Medici, Versionem Anacreonticam licet subjungere.

O Sanitas beata,
O Sanitas amanda,
O Sanitas colenda,
Tecum mihi beate
Reliquum agitare Vitæ
Liceat! mihi perennis
Comes o adesto Vitæ!
Nam quicquid est bonorum,
Et quicquid est leporum,
Et quicquid est honorum,
Et quicquid est amorum,
Magnis in auri acervis
In Liberis venustis,
In Principum decore,
In Conjugum favore;
Et quicquid est, quod ampli,
Largitur orbis Autor,
Quietis a Labore,
Gaudiique post Dolorem,
Tecum viget viretque.
O Sanitas Beata,
Tu ver facis suave
Fulgere Gratiarum.
Sine te nihil beatum.

(1) Vide *Athenæi* Deipnosophist. Lib. XV.

Ut

Ut & (1) *Orphei* Hymnus ad eandem Deam, opus æque perfectum, æque lectione dignum; quod a me Latine versum.

Ἱμερόεσσ', ἐρατὴ, πολυθάλμε παμβασίλεια,
Κλῦθι μάκαιρ' ὑγίεια, φερόλβιε μῆτερ ἁπάντων.
Ἐκ σέο γὰρ νῦσοι μὲν ἀποφθινύθουσι βροτοῖσι,
Πᾶς δὲ δόμος θάλλει πολυγηθὴς εἵνεκα σεῖο,
Καὶ τέχναι βείθουσι. ποθεῖ δέ σε κόσμος ἄναασα,
Μῶνος ὃ φυγέει σ' ἀίδης ψυχοφθόρος αἰεὶ,
Εὐθαλὴς, εὐκταιοτάτη, θνητῶν ἀνάπαυμα.
Σοῦ γὰρ ἄτερ πάντ' ἐστὶν ἀνωφελῆ ἀνθρώποισιν.
Οὔτε γὰρ ὀλβοδότης Πλοῦτος γλυκερὸς θαλίῃσιν
Οὔτε γέρων πολύμοχθος ἄτερ σέο γαῖαν ἀνήρ.
Πάντων γὰρ κρατέεις μούνη, καὶ πᾶσιν ἀνάασεις.
Ἀλλὰ θεὰ μόλε μυστιπόλοις ἐπιτάρροθος αἰεὶ,
Ῥυομένη νούσων χαλεπῶν κακόποτμον ἀείρω.

Optabilis, Amanda, multum-virens Summa Regina,
Audi Beata Salus, felicitatem-ferens Mater omnium.
Per te enim morbos profligant Homines,
Omnisque floret Domus læta tui gratia,
Crescunt & Artes. Amat te Mundus, Regina;
Et Solus odit Lethifer Orcus.
Florens, maxime-optanda, Mortalium Requies,
Sine te omnia sunt hominibus inutilia.
Non enim Dis dator divitiarum suavis est inter afflu- [entias,

(1) Vide *Orphei* Hymnos quos edidit *Hen. Stephanus.* pag. 123.

Nec

Nec ſine te ſit Homo Senex ærumnoſus.
Omnes enim ſuperas, omnibuſque imperas.
Sed ades Dea, initiantibus ſemper adjutrix,
Depellens infelicem, morborum gravium, dolorem.

Porro non minus luculenter apparet, Gentilium Deos, inter ſe diverſos habuiſſe ordines; & uti duodecim Dii præcipui, in ſuperiori ordine, ita alii, minus præcipui, (vulgo *Medioxumi*) in ordine inferiori, collocabantur. Inter Deos igitur *Medioxumos*, hæc noſtra Dea *Salus*, de qua ſermonem facturi ſumus, cenſeri debet; Cujus eſt hujuſmodi Ortus Mythologicus.

Quatuor Filias habuiſſe *Æſculapium* Antiqui fabulantur, ſcil. *Jaſo*, *Panaciam*, *Æglen*, & *Hygiam*, uti teſtatur (1) *Plinius*, & in *Ariſtophanem* (2) Scholiaſtes; qui earum nomina formata eſſe docet ὡς τὸ ἰᾶσθαι, καὶ πάντα ἀκεῖσθαι, καὶ ὡς τὸ ὑγίειαν παρέχειν. (3) *Suidas* autem earum Matrem retulit Ἠπιόνιω. Ἠπιόνη γυνὴ Ἀσκληπιοῦ. καὶ θυγάτηρ αὐτοῦ Ὑγεία, Αἴγλη, Ιασὼ, Ακεσὼ, Πανάκεια. Quam vero Græci Ὑγίειαν, vel Ὑγείαν, eam Romani *Salutem* aut *Sanitatem* appellavere, eam præcipue coluere: Illa enim erat, cui Statuæ erigerentur; Illa, cui Templa, Aræque ponerentur; & Illa, cui Numiſmata, ut & alia Monumenta inſcriberentur. Quæ noſtra, uti ſpero, exhibebit Diſſertatio: Sed primum de Symbolo Deæ *Salutis*.

---

(1) Nat. Hiſt. Lib. XXV. Cap. 4. & XXXV. Cap. 11.
(2) In *Plutum*, & *Aves*.
(3) Sub Voce Ἠπιόνη.

CAP.

CAP. II.

De Salutis *Symbolo.*

ANguem, ſive Serpentem, *Æſculapio* fuiſſe ſacrum, ejuſque in Theologia Gentili Symbolum, eſt exploratiſſimum: Quam ob cauſam, ſæpiſſime *Æſculapii* imago, nimirum Homo barbatus, manu tenens Baculum, cum Serpente cernitur. Cur autem hoc modo depingitur, rationem reddit fabuloſam (1) *Hyginus. Ut quidam dixerunt, hac de cauſa Anguem dicitur tenere, quod cum* Glaucum *cogeretur ſanare, concluſus quodam loco ſecreto, Bacillum tenens manu, cum quid ageret cogitaret, dicitur anguis ad Bacillum ejus adrepſiſſe, quem* Æſculapius *mente commotus interfecit, bacillo fugientem feriens ſæpius. Poſtea fertur alter anguis eodem veniſſe, ore ferens herbam, & in caput ejus impoſuiſſe: quo facto, utroſque loco fugiſſe. Qua re* Æſculapium *uſum, & eadem herba* Glaucum *revixiſſe. Itaque Anguis & in* Æſculapii *tutela, & in aſtris dicitur collocatus: Qua conſuetudine ducti poſteri ejus tradiderunt reliquis, ut Medici anguibus uterentur.* Quantum veriſimilitudinis, in ſe hæc Fabula habere videatur, noſtri non eſt exquirere. Tamen non ſine ratione colligi poteſt, Serpentes & Angues, apud veteres habitos fuiſſe boni feliciſque

(1) Aſtronom. Poetic. Lib. II.

augurii Symbolum, Unde (1) *Homerus Græcos* inducit apud *Aulidem* omen futuri decennalis Belli ex ſerpente collegiſſe. Utet (2) *Æneas* in ingreſſu in *Italiam*, a Serpente, circa patris ejus *Anchiſæ* Sepulcrum, optimum præſagium, accepiſſe fertur.

Dixerat hæc. Adytis cum lubricus Anguis ab imis
Septem ingens gyros, ſeptena volumina traxit,
Amplexus placide tumulum, lapſuſque per aras:
Cæruleæ cui terga notæ, maculoſus & auro
Squamam incendebat fulgor; ceu nubibus arcus
Mille trahit varios adverſo ſole colores.
Obſtupuit viſu Æneas. Ille agmine longo
Tandem inter pateras & levia pocula ſerpens,
Libavitque dapes, rurſuſque innoxius imo
Succeſſit tumulo, & depaſta altaria liquit.

Valerius etiam (3) *Flaccus* hoc confirmat, a Serpente omen fauſtum *Argonautarum* incepto deducens,

Dixerat: & ſummas frondentibus intulit aris
Libavitque dapes, placidi quas protinus Angues
Umbrarum famuli, linguis rapuere coruſcis.

Et ob hanc cauſam Serpens omnium fere Deorum comes eſſe videtur; quo nil frequentius in *Ægyptiorum, Græcorum*, & *Romanorum* ſacris occurrit,

(1) Iliad. Lib. II.
(2) Æneid. Lib. V.
(3) Argonauticon. Lib. III.

uti

uti abunde teſtatur Doctiſſimus (1) *Cuperus*. Nimis quidem a noſtro eſſet propoſito, omnes quibus comes datur, Deos recenſere; *Æſculapium* vero præcipue hoc habuiſſe Symbolum, nullomodo oſtendere pigebit. Et hoc inter alia, ex his (2) *Statii* conſtat,

Dicitur Idalios Erycis de vertice lucos
Dum petit, & molles agitat Venus aurea cygnos,
Pergameas intraſſe domos, Ubi maximus ægris
Auxiliator adeſt, & feſtinantia ſiſtens
Fata, Salutifero mitis Deus incubat Angui.

Quæ cum Serpentem *Æſculapio* ſacrum probaverint, ex hiſce facile judicari poteſt, unde *Salus Æſculapii* Filia, ſymbolum ſuum Serpentem acceperit. Et quare Serpens ſive Anguis ei tribuatur, à (3) *Chartario* oſtenditur, *Angues*, dicente, *apud veteres Sanitatis* (i. e. Salutis) *ſigna erant; nam ſicut Angues vetuſtis poſitis exuviis, innovantur, ita & homines ſanitate recuperata, reſtaurari quodammodo videntur*. Cui conſentaneum eſt, quod à (4) *Macrobio* dicitur, Draconem Serpentis quoddam genus, Symbolum eſſe referente; quæ omnia ex illo Autore, huc adſcripſi. *Hinc eſt, quod ſimulacris* Æſculapii, & Salutis, *Draco ſubjungitur, quod hi ad Solis naturam, Lunæque referuntur: & eſt* Æſculapius

(1) Vide *Cuperi Harpocratem*. Traj. ad Rhen. 1694. pag. 59. & 60.
(2) Sylvarum. Lib. III.
(3) Vide *Chartarium* de Deorum Imaginibus, qui ab Antiquis colebantur.
(4) *Macrob.* Saturnalium, Lib. I. Cap. 20.

vis

vis ſalubris de ſubſtantia Solis ſubveniens animis corporibuſque mortalium: Salus *autem naturæ Lunaris effectus eſt, quo corpora animantium juvantur, ſalutifero firmata temperamento. Ideo ergo Simulacris eorum junguntur figuræ Draconum: Quia præſtant ut humana corpora, velut infirmitatis pelle depoſita, ad priſtinum revireſcant virorem, ut vireſcunt Dracones perannos ſingulos pelle ſenectutis exuta.*

Sed præter ante memoratum *Salutis* Symbolum, nonnulla ejuſmodi fuere, qualia *Antiochus* cognomine *Soter*, cum adverſus *Galatas* pugnaret, habuiſſe fertur. Ille enim vidit, aut vidiſſe ſimulavit, *Alexandrum* Magnum monentem, ut Signum ſive Symbolum *Salutis*, proponeret, & id pro teſſera Tribunis daret, inſueretque eorum veſtibus, itaque victoriam potiretur. Quod quidem in eorum gratiam qui res antiquas admirantur, hic ſubnectam.

Unde hujus Rei ſignum (eodem *Chartario* referente) in veteribus *Antiochi* Nummis, hodie ſpectandum.

CAP.

CAP. III.

De Templis & Augurio Deæ Salutis.

CUM in prioribus de Mythologia, & Symbolo, nonnulla protulimus, haud abs re erit, quod de Templis eidem Deæ consecratis, dicendum est, hic in medium ferre. Minime enim dubitandum est quin ut salutem daret, hæc Dea olim coleretur. Ec si cum Nobilissimo (1) *Herberto* loqui liceat, *Non semper ad privatum, particularemque corporis unius hominis, verum sæpissime nobiliorem, communemque Reipub. statum referebatur.* Hanc ob causam Templa ei a Rom. qui eam præcipue coluerunt, posita invenimus. Unde etiam (2) *Livius*, Historicorum Princeps, *Ædes*, inquit, *Salutis a C. Junio Bubulco Censore locata est; quam Consul Bello Samnitium voverat;* & in sequenti Libro, (3) *Is* (scil. Bubulcus) *cum M. Titinio Magistro Equitum profectus, primo congressu Æquos subegit, ac die octavo triumphans, in Urbem cum redisset, Ædem* Salutis *quam Consul voverat, Censor locaverat, Dictator dedicavit.* Cujus Ædis Historia, ut melius intelligatur, adjicere licet, *C. Junium Bubulcum*, in Bello Samnitico III Cos. cum *Q. Æmilio Barbula* II A.U.C.

(1) De Religione Gentilium.
(2) Lib. IX. Cap. 43.
(3) Lib. X. Cap. 1.

442. voviſſe, ſe *Salutis* Ædem ædificaturum: Quam quidem Cenſor, *Q. Marcio Tremulo*, *P. Cornelio Arvina* Coſs. A. U. C. 447. locavit; & Dictator *M. Livio Dentre*, *M. Æmilio Paullo* Coſs. A.U.C. 451. dedicavit.

Hæc Ædes, a C. *Fabio* picta, nomen illi *Pictoris* acquiſivit, uti (1) *Plinius* teſtatur, de Pingendi Arte verba faciens, *Apud Romanos quoque honos mature huic Arti contigit: ſiquidem cognomina ex ea Pictorum traxerunt Fabii clariſſimæ gentis, princepſque ejus cognominis ipſe Ædem* Salutis *pinxit*, A U.C. CCCCL. *Quæ pictura duravit ad noſtram memoriam, Æde Claudii principatu exuſta.* In quem locum, Doctiſſimi *Harduini* Notæ indicant, hanc *Salutis* Ædem fuiſſe in Regione Urbis *Romæ* ſexta, in Colle ſcil. *Quirinali.*

Porro Autor ille vetus *Terentius* (2) *Varro*, tum Collem *Salutarem* tum Ædem *Salutis* commemorat; Quæ Collis Doctiſſimo interpretante (3) *Scaligero*, eſt Particularis in Colle *Quirinali*, ubi etiam erant *Apollinaris*, *Martialis*, *Latiaris.* In hac igitur Colle *Salutari*, Ædes *Salutis* locata eſt, teſte eodem *Varrone*, *Collis* Salutaris *quarticeps advorſum eſt Apollineris Ædem, &* Salutis. Quam uti probabile, *Junius Bubulcus* ibi locavit; licet haud e *Livii* ſcriptis, indicari poſſit, ejus Ædem in Colle *Salutari* ædificaſſe; aut e *Varronis*, Ædem *Salutis*, quæ

(1) Nat. Hiſt. Lib. XXXV. Cap. 4.
(2) De Lingua Latina.
(3) Vide *Scaligeri* Conjectanea in *Varronem.*

fuit

fuit in Colle *Salutari*, ibi a *Bubulco* fuiſſe poſitam.

Et quoniam mentionem fecimus de Colle *Salutari*, audiamus (1) *Alexandrum ab Alexandro*, de ea *Varronem* laudantem. Quæ omnia adjicere non pœnitebit, ut Templi Hiſtoria melius intelligatur; *Cumque in* Quirinali *diverſi Aggeres forent, ſingula ſua nomina fortiti fuere namque ex his uni Tricepſos ad Ædem* Quirini, *contra quam Sacellum* Semonis Jani *viſebatur: alteri* Salutari, *ob* Salutis *Ædem, tertio* Mutiali, *ad Ædem Dei* Fidii *nomen erat, ut* Varro *inquit. In eo quoque* Numa Pompilius *domum habuit, quæ ad* Auguſti *tempora, manſit incolumis, ubi &* Primogeniæ Fortunæ *Templum, quæ Publica dicta eſt, ac* Fidii *Sabini Dei,* Salutis, *&* Floræ *Templa fuere.* Ab eodem etiam Autore, Portam *Salutarem Romæ,* Templo proximam, ab eo nomen ſumpſiſſe profertur; *Et* (2) Salutaris *ab Æde* Salutis.

Sed præter ante memoratum *Salutis* Templum, unum in *Hetruria* fuiſſe, indicat (3) *Tacitus* mentionem de *Scevino* faciens, *Qui Pugionem,* inquit, *Templo* Salutis *in* Hetruria, *ſive ut alii tradidere,* Fortunæ, Ferentano *in oppido detraxerat, geſtabatque velut magno operi ſacrum.* Quanquam in hoc loco occurrit Dubitatio, utrum de *Fortunæ,* an *Salutis* Templo intelligatur, tamen ſi cum his conferantur verba, paulo poſt ſequentia, facile indicari

(1) Genialium Dierum, Lib. VI. Cap. 11.
(2) Lib. IV. Cap. 16.
(3) Annalium. Lib. XV. Cap. 53. Cap. 74.

 poſſit

poſſit cujus Deæ Templum in *Hetruria* fuit collocatum. Dicit enim, ex *Neronis* juſſu, *ut Templum* Saluti *exſtrueretur, eo loci ex quo* Scevinus *ferrum promſerat. Qui eum Pugionem apud* Capitolium *ſacravit, inſcripſitque* IOVI VINDICI.

Nonnulli alii ſunt, qui de hujus Deæ Templis, ſed obiter ſcripſerunt, viz. (1) *Tullius*, (2) *Vitruvius*, (3) *Arnobius*, & (4) *Auguſtinus*. Qui omnes ad idem Templum ſcil. in Colle *Salutari*, referri videantur; vix enim ex eorum ſcriptis, quibus in locis, aut quorum Munificentia poſita fuere, patet.

His appoſite ſubjungi poteſt celeberrimum *Salutis Augurium*, ſæpe ab Autoribus *Romanis* memoratum, & inter alios præſertim à (5) *Tullio*, & *Dione Caſſio:* Quorum prior, verba cujuſdam Legis referens *Sacerdotes*, inquit *Vineta, Virgetaque & Salutem Populi auguranto.* (6) *Dion* autem *Caſſius* prolixam hujus Rei hiſtoriam, & quomodo perficiebatur, narrat; cujus verba ſunt, Τότε δὲ οἱ Ῥωμαῖοι πολέμων ἀνάπαυσιν τὴν ἔτους χρόνον ἔχον· ὥστε καὶ τὸ οἰώνισμα τὸ τῆς Ὑγιείας ὠνομασμένον ἀφ' πάνυ πολλῶν ποιῆσαι. τοῦτο δὲ δὴ μαντείας τις τρόπος ἐστί, πίστιν τινὰ ἔχων εἰ ἐπιτρέπει σφίσιν ὁ Θεὸς, ὑγίειαν τῷ δήμῳ αἰτῆσαι ὡς οὐχ ὅσιον οὐδὲ αἴτησιν αὐτῆς, πρὶν συγχωρηθῆναι, γενέσθαι· καὶ ἐτελεῖτο κατ' ἔτος ἡμέρᾳ, ἐν ᾗ μηδὲν στρατόπεδον μήτε ἐπὶ πόλεμον ἐξίοι, μήτ' ἀντιπαρετάττετό τις μήτε ἐμάχετο. καὶ ἀφ' τοῦτο ἐν τοῖς συνεχέσι κινδύνοις, καὶ μάλιστα τοῖς ἐμφυλίοις οὐκ

(1) De Natura Deorum, Lib. II.
(2) De Architectura, Lib. I. Cap. 2.
(3) Adverſus Gentes, Lib. IV.
(4) De Civitate Dei.
(5) De Legibus, Lib. II.
(6) Lib. XXXVII.

ἐποιεῖτο.

ἐποιεῖτο. ἄλλως τε γὰρ παγχάλεπον σφίσιν ἐστὶ καθαρὰν ἀπὸ πάντων αὐτῆς ἡμέραν ἀκριβῶς τηρῆσαι, καὶ προσέτι καὶ ἀτοπώτατον, καὶ αὐτοὺς οἱ φάσιν ἐκγόνοις ἀμύθητα ἀλλήλοις παρέχοντας, καὶ μέλλοντας, ἄν τε ἡττηθῶσιν ἄν τε νικήσωσι, κακῶδαι ἔπειτα σωτηρίαν παρὰ τοῦ θεοῦ προσαιτεῖν. *Annuo autem tunc spatio,* Romani *bellis vacarunt, ita ut longo tempore intermissum*, Augurium Salutis, *repeterent. Est autem quoddam Divinationis genus, quo probatur, concedantne ipsis Dii, ut salutem populo postulent: quasi nefas esset, eam priusquam concedatur, petere. Ad id dies destinatur singulis annis, ad quam diem nullus exercitus sit ad bellum profectus, nullus hostis ad aciem eduxerit, aut pugnatum sit. Hanc ob causam in continentibus malis, maximeque intestinis, non celebratur: Alioquin etiam dificillimum est,* Romanis *ut eam diem exacte ab his omnibus puram servent: præterea absurdissimum est, quum ipsi se mutuo in seditionibus ultro malis infandis affligant, ut sive vincantur, sive vincant, in miseriis sint, ita salutem a Deo velle flagitare.*

Nunc temporis, *Tullio* Consule, (1) *Tullio* ipso teste, repetitum fuit *Salutis Augurium; Tibi,* P. Claudius, *Consuli nuntiavit, addubitato* Salutis Augurio, *Bellum Domesticum triste, & turbulentum fore, quod paucis post mensibus exortum, pauciori-bus est a te diebus oppressum.* A quo tempore fuit intermisum annos 34. *i. e.* donec *Augustus* fuit Consul, cum *Apuleio.* ὑπατεύοντος δ' αὐτοῦ (ait (2) *Dion Cassius*) τὸ πέμπτον μετὰ Σέξτου Ἀπουλήϊου, τά τε προχθέντα ὑπ' αὐτοῦ πάντα καὶ αὐτῇ τῇ

(1) De Divinatione.
(2) Lib. LI.

Ἰανουαρίου νουμηνίᾳ ὅρκοις ἐβεβαιώσαντο ---- Καὶ τὸ οἰώνισμα τὸ τῆς Ὑγιείας ἐποίησε· ᾗ δὲ ἐς τότε δι' ἄστρ εἶπον διελέλειπτο. Cæſare (ſcil. Auguſto) V, Sexto Apuleio Coſs. *præterea Juramento omnia ejus acta confirmata ſunt, Calendis Januariis ipſis---Et* Salutis *fecerunt* Augurium *hactenus ob eas cauſas quas dixi intermiſſum. Auguſtus*, referente (1) *Suetonio Tranquillo*, Salutis Augurium, *cum multis aliis cærimoniis antiquis, paulatim abolitis, reſtituit.* Ille enim pace, Imperio *Romano*, reſtituta, tum *Jani* Templum clauſit, tum *Salutis Augurium* fecit. Quorum utrumque non niſi quieto Imperii ſtatu potuit obſervari; Et poſt eum, tempore *Claudii Cæſaris*, fuit repetitum, affirmante (2) *Tacito*, Salutis Augurium, *quinque & viginti annis omiſſum, repeti, & deinde continuari placitum.*

---

(1) In Vita *Auguſti.*
(2) Annalium, Lib. XII.

CAP.

CAP. IV.

De Statuis Deæ Salutis.

ALius, quem Diis habuerunt Antiqui, Honos est Statuarum Erectio, quarum huic nostræ Deæ non paucas, sibi vindicat Antiquitas. Statuas fuisse in Ὑγιείας, honorem positas, e *Pausania*, *Dione Cassio*, aliisque, qui tum de *Æsculapio*, tum de illa scripsere, patet. Ὑγίεια enim, quam ut diximus, *Æsculapii* filiam esse finxerunt, una cum Patre divinos honores sibi delatos habuit, unde Statuas ambobus conjunctim positas, eosque ipsos, tanquam Θεοὺς συνδώμους toties cultos inveniamus.

In *Græca* igitur Historia, Statuam Ὑγιείας memorat, in *Atticis Pausanias*, quam *Athenis* collocatam ille refert, Τοῦ δὲ Διιτρεφοῦς πλησίον (τὰς γὰρ εἰκόνας τὰς ἀφανεστέρας γράφειν οὐκ ἐθέλω) Θεῶν ἄγαλμά ἐστιν Ὑγιείας τε ἣν Ἀσκληπιοῦ παῖδα εἶναι λέγουσι, καὶ Ἀθηνᾶς ἐπίκλησιν καὶ ταύτης Ὑγιείας. i.e. *proxime ad Statuam* Diitrephis *posita sunt* (*neque enim libet minus clara persequi*) *Deorum signa*, Hygiæ, *quam* Æsculapii *filiam fuisse dicunt*, & Minervæ, *cui itidem* Hygiæ *cognomentum*. Et Statuas *Æsculapii* & *Salutis*, esse *Megaris*, quas fecit *Bryaxis* Statuarius, (1) Τοῦ δὲ Ἀσκληπιοῦ ἄγαλμα Βρύαξις καὶ αὐτὸ καὶ τὴν Ὑγιείαν ἐποίησεν. Æsculapii *vero*, & Hygiæ *Signa* Bryaxis *fecit*. Unde (2) *Plinio*, Bryaxis Æsculapium, & Seleucum *fecit*, dicente, Doctissimus *Harduinus* eleganter qui-

(1) In eodem Libro.
(2) Vid. Nat. Hist. Lib. XXXIV, & in eum Notas, & Emendat. *Harduini*.

dem,

dem, & erudite, legi vult *Salutem* aut *Sanitatem*, pro Voce *Seleucum*.

In *Corinthiacis* etiam de Statuis fit mentio. De prima in ipſa Urbe *Corintho*, Πρὸς τούτῳ τῷ γυμνασίῳ, ναοὶ θεῶν εἰσιν, ὁ μὲν Διός, ὁ δὲ Ἀσκληπιοῦ. Τὰ δὲ ἀγάλματα, Ἀσκληπιὸς μὲν καὶ Ὑγιεία λευκοῦ λίθου, τὸ δὲ Διὸς χαλκοῦν ἐστίν. *Conjuncta ſunt cum ipſo Gymnaſio, Deorum Delubra duo,* Jovis *alterum, alterum* Æſculapii; Æſculapius *ipſe &* Hygia *e candido lapide ſunt, at* Jupiter *æneus eſt.* Et in eodem Libro, de altera, in *Æſculapii* Templo, quod ab *Alexanore*, in *Sicyonia* fuit erectum. Ubi primum de *Æſculapii*, & mox de *Hygiiæ* Statua, loquitur *Pauſanias*, Καὶ Ὑγείας δ' ἐστὶ κατ' ταυτὸν ἄγαλμα· οὐκ ἂν οὐδὲ τοῦτο ἴδοις ῥαδίως, ὅτι περιέχουσιν αὐτὸ κόμαι τε γυναικῶν αἳ κείραντο τῇ θεῷ, καὶ ἐσθῆτες Βαβυλωνίας τελαμῶνες. ᾧ δ' ἂν σπουδάσαι τούτων ἱλάσασθαι θελήσῃ τις, ἀποδέδεικται οἱ τὸ αὐτὸ σέβεσθαι τοῦτο, ὃ δὴ καὶ Ὑγίειαν καλοῦσι. *Eodem ferme habitu eſt* Hygiæ *Signum. Nam & hoc non facile conſpicias. Velatum enim undecunque eſt, partim comis, quas deæ mulieres detonderunt, partim vero* Babyloniæ *veſtis laciniis, Qua vero cunque re litare quis voluerit, eadem traditum eſt, illud etiam numen placari, cui eſt* Hygiæ *Nomen.* Sed male quidem interpres *Amaſæus*, κατ' ταυτὸν *eodem habitu* redidit, uti enim (1) *Gisbertus Cuperus*, Vir tum omni eruditionis genere, tum Antiquitatis ſtudio præclarus, obſervavit, Statuæ utriuſque deſcriptio, inter ſe collata, rejicit, & qui multo magis eleganter *in eodem loco*, ſignificare velit. Quæ autem ſint τελαμῶνες ἐσθῆτες, ſive *laciniæ* quibus *Salus*

(1) Vide Apotheoſin *Homeri, Amſtel.* 1683. pag. 143.

ve-

velari dicitur, æque mihi atque illi ignotum. Idem porro *Amasæus* male reddidit ᾧ δ' ἂν σεβῶνται &c. quod sic recte a *Sylburgio* corrigitur, *Quodcunque autem horum numinum placare hic aliquis voluerit, ei præscriptum est illud ipsum venerari, quod* Ὑγίειαν *apellant.* Sed ut progediar.

De *Æsculapii* Templo apud *Argivos* loquens, in eo Statuam fuisse Ὑγείας dicit *Pausanias*, Τὸ δὲ ἐπιφανέστατον Ἀργείοις τ' Ἀσκληπιείων ἄγαλμα ἐφ' ἡμῶν, ἔχει καθήμενον Ἀσκληπιὸν, λίθου λευκοῦ, καὶ παρ' αὐτὸν ἕστηκεν Ὑγεία. Quod sic vertit *Sylburgius. Inter* Æsculapii *Simulacra id quod est* Argis *omnium ætate nostra clarissimum, repræsentat Deum sedentem e candido Lapide, & juxta eum stat* Salus.

(1) *Plinius* præterea ante laudatus, & *Lucianus Samosatensis* de Statuis hujus Deæ scripserunt, quorum prior Statuas, inquit, *Æsculapii*, & *Hygiæ*, a *Nicerato* nobili Statuario fuisse factas, quæ *Romæ* in *Concordiæ* Templo collocarentur: & paulo post idem ille Autor, Statuam *Hygiæ*, a *Pyrrho* factam. Alter *Hippiæ* Balneum describens καὶ εἰκόνες εἰσὶ ἀμφὶ λίθου λευκοῦ τῆς ἀρχαίας ἐργασίας, ἡ μὲν Ὑγείας ἡ δὲ Ἀσκληπιοῦ, inquit, i. e. *in eadem* (scil. *Domo Balneo continua*) *sunt marmoreæ Imagines antiqui operis, altera* Sanitatis, *altera* Æsculapii.

Porro Statuam Deæ Ὑγείας posuit *Augustus Cæsar*, ad Reipub. vero, potius quam unius hominis privati salutem refertur; nihilominus quoniam de *Salutis Publicæ* Augurio, & Templis in prioribus egimus, de Statuis etiam ejusdem Deæ loqui fas est.

(1) Nat. Hist. Lib. XXXIV. Cap. 8.

Quare

Quare hæc e (1) *Dione Cassio* adjicere voluimus, ἐπειδή τε ἀργύριον ἐς εἰκόνας ἑαυτῷ καὶ σκεύη καὶ ὁ δῆμος συνεσήνεγκεν, ἑαυτῷ μὲν οὐδεμίαν, Ὑγιείας δὲ δημοσίας --- ἔθηκεν. *Cumque iterum pecuniam ei ad imagines faciendas* Senatus Populusque *conferrent, nullam quidem sibi,* Salutis *autem* Publicæ----*posuit.*

His addatur Statua, quam Rei antiquariæ studiosus (2) *Montfaucon* memoravit, nomenque *Minervæ Medicæ* indidit. Ejus Figura hoc in loco exhibetur; & *Minervam* aliquando Ὑγίειαν fuisse appellatam, tum e (3) *Plutarcho* patet, in *Periclis* vita, qui a *Minerva* admoneretur, quomodo servum ægrotantem sanaret ὅθεν τούτῳ δὲ καὶ ὁ χαλκοῦν ἄγαλμα τῆς Ὑγιείας Ἀθηνᾶς ἀνέθηκεν ἐν ἀκροπόλει παρὰ τὸν βωμόν ὃς καὶ πρότερον ἦν ὡς λέγουσιν. *Et ob hanc causam æneam* Minervæ Hygiæ, *Statuam erexit in* Acropoli *juxta Aram, quæ ibi antea erat, ut dicunt:* Tum e *Pausania* supra laudato. Quare per errorem sæpissime *Minerva* cum Ὑγιείᾳ *Æsculapii* Filia, confunditur. Licet enim Nomen aliquando *Minervæ* detur, non per Ὑγιείαν, semper, sub eo nomine intelligitur *Minerva.*

Apud hunc Autorem, scil. *Montfaucon,* Templi Ichnographia cernitur, ipso quidem non inepte sentiente, *Minervæ Hygiæ,* sive *Medicæ* Templum, & in *Esquilina Romæ* Regione collocatum. Sed qui plura de *Minerva Medica* videre velit, adeat (4) *Gisberti Cuperi* Inscriptiones, & Marmora antiqua illustrata.

(1) Lib. LIV. Edit. *Henr. Stephani* pag. 625.
(2) Vide Father *Montfaucon*'s Travels from *Paris* thro' *Italy,* pag. 134.
(3) *Plutarchi* Oper. Edit. *Henr. Stephani,* pag. 291.
(4) Apoth. *Homeri* cui subjunguntur Inscript. & Marmor. Antiq. illustr.

CAP.

Tab. 1.



MBf.

CAP. V.

De Nummis Saluti *inſcriptis.*

REſtat ut de Nummis *Hygiiæ* inſcriptis, nonnulla dicam: Hi quidem aptiſſime, in duas claſſes poſſunt dividi; quarum altera, Deæ effigiem exprimit; altera ſub aliquo ſigno, ſive ſymbolo Deæ cultum innuit. Servato igitur temporis ordine, aliquos ſequentes exhibere liceat.

Nummus, qui ad hanc claſſem primam referri debet, a (1) *Fulvio Urſino*, de Gente *Junia*, memoratur: in quo ipſius *Salutis* caput, cum hac Inſcriptione

SALVS

cernendum eſt; Autor quidem ait, hanc Imaginem *Salutis* expreſſam ad *C. Junium Bubulcum Brutum* pertinuiſſe, ob Ædem illam (de qua ſupra) quam Conſul voverat, Cenſor locaverat, Dictator dedicavit.

Eandem pene *Salutis* figuram habet Clariſſimus (2) *Gevartius*, in Nummo *Tiberii Cæſaris*, pulcerrimæ mulieris faciem exhibente, & inſcripto

SALVS AVGVSTA.

quem vide in Tab. 2. Fig. 1. e *Gevartio*.

(1) De Familiis *Romanis*, a *Patino* reſtitut. *Pariſ.* MDCLXIII. pag. 141.
(2) *Croyiaci* Numiſm. Tab. XVII. Fig. 13.

Elegans etiam apud (1) *Gevartium*, & (2) *Oiſelium*, *Neronis* Nummus eſt: in quo cernitur, in ſella ſedens, manuque Pateram tenens Dea *Salus*; ſed, quod notatu dignum, nullus cum ea Serpens, unde interpretatus eſt *Oiſelius*, quaſi *Nero* deſignare vellet, nil venenati *Saluti* eſſe tribuendum. Nummus inſcribitur

SALVS.

& eſt in Tab. 2. Fig. 2. e *Gevartio*.

Porro apud (3) *Patinum*, Virum ſane Doctum, & Antiquitatis Admiratorem, Nummus eſt *Trajani*, qui *Æſculapium* & *Salutem* repræſentat; hanc Serpentem ſolum in dextra, cui e Patera cibum præbet, tenentem; illum, Baculum, cui Serpens circumvolvitur. Hunc quidem Nummum Communitas *Cretenſium* cudi curavit, inſcripſitque

KOINON KPHTΩN.

quem vide in Tab. 2. Fig. 1. e *Patino*.

Proximus Imp. eſt *Hadrianus*, cujus Nummi, faciem Deæ hujus exhibent; quorum tres ab (4) *Oiſelio* exhibentur. Primus habet *Salutem* ſtantem, ante Aram, circa quam Serpens circumvolutus aſſurgit, & a Dea, cibum e Patera præbente paſcitur, cum hac Inſcriptione

SALVS AVG.

In ſecundo cernitur *Salus* ante Aram, uti prius,

(1) *Croyiac*. Numiſm. Tab. XXI. Fig. 13.
(2) *Oiſelii* Theſaur. Nummorum. *Amſtel.* A.D. 1677. pag. 424. Tab. LXXX.
(3) Imp. *Romanorum* Numiſmata. *Pariſ.* A.D. 1696. pag. 159.
(4) Tab. LXXXI.

ſtans,

1. e Gevartio. 2.

1. ex Oiselio. 2.

3.

4.

5.

6.

1. e Patino. 2.

1. ex Ursino. 2.

7.

8.

9.

ſtans, dextera Pateram, ſiniſtra Baculum, aut Sceptrum tenens; cum eadem Inſcriptione. In tertio eodem modo ac in prioribus, ſedens vero in ſella; Hic Nummus inſcribitur

P. M. TR. P. COS. II.

& in ima parte

SALVS AVG.

qui omnes cernantur Tab. 2. Fig. 1,2,3. ex *Oiſelio.*

Apud (1) *Patinum* etiam hujus Imp. Nummus eſt, in quo *Salus* & pater *Æſculapius*, uti in Nummo *Trajani*, quem ſupra laudavimus, cernantur. Sic autem Autor ille, etſi mutilum, inſcriptum profert,

. . . . . ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ.

magis vero perſpicue, ab Inſigni (2) *Harduino*, illuſtratur de Νικαέων Nummis narrante, ſub his Verbis ΝΕΙΚΑΕΩΝ ΚΙΑΒΙΑΝΩΝ ΠΕΡ.

Inter Nummos (3) *L. Ælii Cæſaris*, unus eſt inveniendus, ab illo *Hadriani* tertio, jam ex *Oiſelio* recitato, parum differens, niſi quod *Ælii* Nummus ſic inſcribitur,

TR. P. COS. II.

Necnon apud (4) *Patinum* in *Antonini Pii* Nummis, *Æſculapius* & *Salus* cernuntur, eodem modo, uti in iis *Trajani*, & *Hadriani* prius memoratis, ſcil. hæc in manu, ille circa Baculum, Serpentem tenens, cum Inſcriptione, quæ vix intelligi poteſt,

(1) In *Hadriano*, pag. 159.
(2) In Nummis Antiquis illuſtratis.
(3) Numiſm. *Croyiac.* Tab. XL.
(4) In *Antonino*, pag. 179.

nisi quod a *Pergamenis* fuisset cusus. Utet apud eundem Autorem, ejusdem etiam Imp. Nummus est, in quo sola stans *Salus*, Serpenti, quem in altera manu tenet, e Patera cibum præbet. Cum hac Inscriptione

ΝΙΚΑΙΕΙϹ ΘΕΑ ΥΓΕΙΑ,

quem vide in Tab. 2. Fig. 2. e *Patino*. E duobus hisce Nummis patet, Vota a *Pergamenis* & *Nicæensibus* pro *Antonino*, dum ægrotaret, facta fuisse; quod non solum hi docent, verum etiam Inscriptio in Columna *Messanensi* de qua infra. *Æsculapium* præterea, & *Salutem* a *Pergamenis* & *Nicæensibus*, fuisse cultos, abunde testatur *Harduinus*. Huic porro *Nicæensium* convenit *Antonini Pii*, apud (1) *Gevartium*, diversam tantummodo habens Inscriptionem,

TR. POT. XX. COS. IIII. & in medio S. C.

Hujus etiam Imp. Nummus est (2) *Oiselianus*, cum Inscriptione

COS. IIII.

in eo *Salus* ante Aram stat, Serpentem pascit, ut antea sæpe; sinistra vero Navis Gubernaculum, quod Globo insistit tenens. Designat, *Oiselio* interpretante, *Salutem & Incolumitatem Imperatoris, ob ejus Imperium, etiam Orbis terrarum salutem esse.* Vid. Tab. 2. Fig. 4.

---

(1) Tab. XLII. Fig. 20.
(2) Tab. LXXX. Fig. 10. pag. 423.

Prox-

Proxime *M. Aurelii* ſequuntur Nummi. Primus, quem ab *Amaſtridis* (*Paphlagoniæ* Urbis, teſte *Strabone*) incolis, fuiſſe cuſum, refert Inſcriptio

AMACTPIANΩN

Aurelio, a (1) *Patino* tribuitur, propter faciei conformitatem, cum aliis ejuſdem Imp. Nummis; ſed utut ea res ſit, in averſa parte, quam noſtri nunc eſt explicare, occurrit *Salus* ſtans, Serpentem tenens, ut in illo, in *Antonini Pii* honorem, a *Nicæenſibus* cuſo. Habet & (2) *Gevartius*, duos *Aurelii* Nummos, in quibus, ut ante, *Salus* cernitur ante Aram Serpentem paſcens. Differunt inter ſe hoc modo, prior exhibet *Salutem*, ſiniſtra habentem Baculum, aut Haſtam, & inſcribitur

SALVTI. AVG. COS. III.

alter Baculum tenentem etiam, vel Haſtam, & Inſcribitur

SALVTI. AVGVSTORVM. TR. P. XVII.

quem vide in Tab. 2. Fig. 5. ex *Oiſelio*. De quo narrans (3) ille Autor nonnullos eſſe, ait, qui de (4) Virgine *Lanuvina*, hos horumque ſimiles Nummos interpretantur; minime autem dubitandum eſt quin in his, & ſimilibus, Ubi de *Hygia*, & *Æſculapio* dictum eſt, ad eos, tanquam Deos *Salutiferos*, referri debeat.

Ob hanc cauſam, in *Aurelii* Nummis, frequenter non modo *Salutem*, verum etiam *Æſculapium* vi-

(1) In *Aurelio*. pag. 189.
(2) Tab. XLVI. Fig. 4, & 8.
(3) Tab. LXXX. Fig. 7.
(4) Vid. *Propertii*, Lib. IV. Eleg. 8.

demus.

demus. Dicit quidem, Hic ipſe Imperator & Philoſophus, ſe Diis gratias agere, (1) τὸ δι' ὀνειράτων βοηθήματα δοθῆναι, ἄλλα τε καὶ ὡς μὴ πτύειν αἷμα, καὶ μὴ ἰλιγγιᾶν, *quod per inſomnia remedia fuerint indicata, cum alia, tum adverſus Sanguinis excreationem, & capitis vertiginem.* Quibuſnam igitur Diis gratias agere debuit, ſi non *Æſculapio* & *Saluti*? ſi non Diis ipſis ſalutem dantibus? Quare ob Remedia per inſomnia indicata, omnes hoſce, nonnullos ſaltem, Nummos fuiſſe cuſos, licet conjicere. Præterea *Aurelius* Philoſophus, utet ejus familia tot *Æſculapio*, tot *Hygiæ* monumenta erigere potuerit, quoniam ipſe, ſecundum *Patinum*, nil ſine ſanitate fauſtum, neminem ſine mente ſana, in corpore ſano, felicem exiſtimavit. Et ob hanc etiam cauſam, habent *Gevartius*, *Patinus*, noſtrumque Gazophylaceum, non paucos, *Fauſtinæ* Jun. *Aurelii* Uxoris, Nummos, cum figuris, haud aliis, quam in *Aurelii*, nuper explicatis.

Porro *Commodus*, *Fauſtinæ* Filius, Nummum huic Deæ inſcribi voluit, in quo, diverſo, quam antea, modo, ſignatur; hic quidem *Salus* Serpentem paſcit e Patera, Serpens vero ſub arbore frondoſa, aſſurgit, juxta Columnam, cui figura quædam Haſtam tenens, infigitur. Inſcriptio eſt

P. M. TR. P. X. IMP. VI. COS. III. P. P.

& in ima parte

SALVS. uti in Tab. 2. Fig. 6. ex *Oiſelio.*

---

(1) *Antonini* εἰς ἑαυτὸν. Lib. I. XVII.
(2) *Oiſelii*, Tab. LXXX. Fig. 4.

Com-

Complures alii ſunt Nummi, qui Deæ *Salutis* faciem oſtendunt, ſub Imperii cadentis Imperatoribus (viz. *Heliogabalo*, *Macrino*, *Alexandro Severo*, *Maximino*, *Gordiano Pio*, *Gallieno*, *Victorino*, *Tetrico*, *Carauſio*, necnon quibuſdam aliis) cuſi, quorum vix, ab iis jam explicatis, figuræ differunt. Et hactenus de Nummis *Salutis* faciem, aut effigiem, exhibentibus.

Reſtat, ut ad alteram claſſem, *Salutis* cultum, ſub aliquo ſigno, ſive ſymbolo, innuentem progrediamur. Et ad eam referre licet *L. Rubrii Doſſeni* Numiſmata, in quibus Altaria, cum Serpente cuduntur; *L.* hunc *Rubrium*, opinatur (1) *Urſinus* (a quo hæc accepimus) eum eſſe, cujus hæreditatem *M. Antonium* invaſiſſe ſcribit (2) *Cicero*. Quicunque vero is fuerit, Gentis ſuæ aliquod celebrare monumentum, voluiſſe manifeſtum eſt; cum Angues ſuper Altaria, in his Nummis ſignaverit. Unde, cum eodem *Urſino* conjicere fas ſit, aut aliquem e Gente *Rubria*, *Salutis* Ædem reſtituiſſe; aut unum ex iis fuiſſe, qui ad arcerſendum *Æſculapium Epidarium*, legati fuerint. Adnotandum porro ſignum Victoriæ, in primo Denario, inſignem aliquam hujus Gentis Victoriam deſignans. Vide Tab. 2 Fig. 1 & 2. ex *Urſino*.

His adjiciendus eſt (3) *Tiberii Cæſaris* Nummus, in cujus altero parte Caput *Tiberii*, altera Ara,

---

(1) De Familiis *Romanis*, pag. 242.
(2) In Oratione *Philippica* 2da.
(3) Vide Numiſmatum Antiquorum Syllogen. *Londini* MDCCVIII.

cui

cui inſcribitur SAL. AVG. cernitur, cum Inſcriptione

C. II. A. M. JUL. SETTAL. L. SESTI. CELER. IIVIR. i.e. *Colonia Immunis Illice Auguſta: Marco Julio Settalo; Lucio Seſtio Celeri Duumviris.*

Et *Neronis* Nummus (1) *Oiſelianus*, ſine aliqua Inſcriptione, in quo Serpens tortuoſus, ſub Arboris umbra cernitur, cujus Rami ad Aram accenſam inclinant; Serpens caput attollens, ad ignem etiam vertit. Quod quidem Ænigma ad *Salutiferos* Deos, referendum videtur; Serpentem enim eſſe tum *Salutis*, tum *Æſculapii* Symbolum ex prædictis, patet. Vide Tab. 2. Fig. 7. ex *Oiſelio.*

Apud eundem inſuper Autorem, Nummi ſunt *M. Aurelii* duo, quorum Unus inſcribitur

TR. P. XX. IMP. III. COS. III.

Et in eo cernitur Serpens ſuper Aram; Hinc Victoria alata, dextra Urceolum tenente, ſiniſtra Caniſtrum floribus plenum, illinc muliebri quadam figura galeata (fortaſſe Dea *Roma*) aſtante. Sacrificium, in hoc Schemate repræſentatur, *Æſculapio* ſoli, uti vult *Oiſelius*, ſed ſine dubio Diis *Salutiferis*, pro Imperatoris ſalute; quem Nummum vide in Tab. 2. Fig. 8. ex *Oiſelio.*

Alter, ſine ulla Inſcriptione, Fœminam habet ſeminudam, ſub arbore ſtantem, cum Urceolo anſato in Dextra, in Siniſtra Patera, & offerentem figuræ cuidam muliebri, (fortaſſe ipſi *Saluti*) quæ

(1) *Oiſelii*, Tab. LXXX. Fig. 1, 2 & 3.

ſuper

ſuper menſam ſtare videatur, ejuſque corporis inferiori parti Serpentem circumvolutum habeat. Hoc etiam pro ſalute Imperatoris *Aurelii* ſacrificium eſſe, exiſtimandum eſt. Vide Tab. 2. Fig. 9. ex *Oiſelio.*

Et quoniam mentionem, de Sacrificiis *Saluti* factis, antea fecimus, vix abs re erit, hoc in loco, quod, ab (1) *Leonardo Auguſtino Senenſi*, memoratur, recitare. Habet ille Vir Doctiſſimus, duas Gemmas antiquas, quarum utræque huic Deæ Sacrificium repræſentant. In prima conſpicitur Vir ſacrificans, in altera manu, Serpentem tenens, ſuper Aram accenſam, & in altera vaſculum vini, liquoriſve alterius generis plenum. In ſecunda ſtat Mulier nuda, e Patera (uti vult *Auguſtinus*) vinum vel lac, ſuper caput Arietis, *Saluti* conſecratum, fundens. Utet in ima Gemmæ parte, Homo ſedens, ſiniſtra tenet Serpentem, dextræque digitum, in Pateram liquoris plenam, immergit.

Præter has Gemmas, in altera, quam admodum, ut adjiciatur, dignam judicavimus, trium Deorum Medicorum Imagines, ſimul exhibentur. *Æſculapius* in ſolito cultu, innixus Baculo, cui Serpens circumvolvitur. Parvulus in medio *Teleſphorus*, ἀπὸ τ τέλος φέρειν, a Valetudine poſt morbum confirmanda, ſic appellatur. Hunc autem Deum eſſe *Pergamenorum*, qui *Evamerionem* quendam, *Teleſphorum* nominarunt, divinoſque ei honores ha-

(1) Vid. Gemmas, & Sculpturas Antiquas *Leon. Auguſtini Senenſis.* pag 55.

buerunt, autor eſt (1) *Pauſanias*, Εὐαμερίωνι δὲ ὡς Θεῷ θύουσι· εἰ δὲ ὀρθῶς εἰκάζω, τ̃ Εὐαμερίωνα τοῦτον Περγαμηνοὶ Τελεσφόρον ἐκ μαντεύματος, Ἐπιδαύριοι δὲ Ἀκέσιον ὀνομάζουσι, *Evamerionem, ſi recte conjicio, Pergameni* Teleſphorum, *Epidaurii vero* Aceſium *nominarunt.* Tegitur eo Veſtis genere, quod *Bardocucullus* nominatur, ſatiſque a (2) *Martinio* explicatur. Laurea quidem Corona, ad unum ex his tribus Diis Medicis, referri videtur, ait enim (3) Geoponicorum Autor, λέγουσι δὲ τοῦτο περὶ τ̃ δάφνης ὅτι ὑγιείας ἐργαστικόν ἐστιν, *& hoc de Lauro aiunt, quod homines ſanos efficiat.* Sed ad parvulum *Teleſphorum*, juxta *Feſtum Pompeium*, apud quem indicandum eſt, Antiquorum fuiſſe opinionem, Laurum ad valetudinis conſervationem conducere. Ad ſiniſtram ſtat noſtra Dea *Salus*, poculum manu tenens, quod, ut de *Salutis* Poculo apud Antiquos in uſu, paulo liberius loquar, neceſſarium reddit.

Hoc quidem Poculum μετάνιπτρον ſive μετανιπτρὶς ab (4) *Athenæo*, aliiſque nominatur, quam μετὰ τὸ νίψασθαι, poſt ablutas a cœna manus, ſibi mutuo propinabant conviuæ, ὑπείποντες τὸ τ̃ Ὑγιείας ὄνομα, uti *Callias* & *Philetærus*, apud eundem Autorem indicant, Καλλίας δ' ἐν Κύκλωψι, καὶ δέξαι τῆνδε μετανιπτρίδα τ̃ Ὑγιείας. Φιλέταιρος Ἀσκληπιῷ, ἐνέσεισε μεγὴν ἴσον ἴσῳ μετανιπτρίδα μεγάλῳ, ὑπειπὼν τ̃ Ὑγιείας τὄνομα. *Callias in Cyclopibus: Accipe hanc Metaniptrida* Salutis. *Philetærus in* Æſculapio: *Magnam Metaniptrida*

---

(1) In *Corinthiacis.*
(2) In Lexic. Philologico ſub voce *Bardocucullus.*
(3) Γεωπονικῶν. *Cantab.* Anno MDCCIV. Lib. XI. pag. 303.
(4) *Athenæi* Deipnoſophiſtarum. Lib. XI.

inde

Fig: 1

2

3

Amico optimo, de se bene merenti,
HUMFREDO DENE, *Armigero,*
Æsculapium, Hygieam, *cum* Telesphoro,
in æs incisos, D.D.D.Q.

GUIL: MOSGRAVE G.F.

Salutis *incussit vino, par pari mixto, plenam, & deinde statim nomen effatus est.* Et paulo post *Nicostratus*

Μεταυιπτρίδα αὐτῷ τῆς Ὑγιείας ἔγχεον.

Affunde illi Salutis *Metaniptrida.*

Huc porro pertinere videntur, quæ a *Julio Polluce* scribuntur, ibidem de hac *Metaniptride* verba faciente, Μεταυιπτρὶς κύλιξ ἐστὶν, ἣν μετὰ τὸ ἀπονίψασθαι ἐλάμβανον, τὸ δὲ ὄνομα, οὐ τοῦ κατὰ τὸ ἔκπωμα σχήματος ἀλλὰ τῆς τάξεως. ἦν δὲ καὶ Ὑγιείας ἱερὰ ὥσπερ καὶ Διὸς σωτῆρος κρατὴρ ἱερὸς ἦν. *Metaniptris calix est, quam post ablutas manus sumebant, nomenque non a forma, sed sumendi ordine, recepit. Erat &* Hygiæ *sacra: sicuti Jovis Salvatoris Crater quoque sacer erat.*

Postremo Litteræ CYZETE ME i. e. *Salvere me jubete;* in inferiori parte, videntur (uti opinatur *Augustinus*) esse formula quædam Precationis ad hosce Deos, ut ab his impetretur sanitas.

CAP.

CAP. VI.

De Inſcriptionibus.

NUmmis in Capite ſuperiori nonnullis, qui in honorem *Hygiiæ* cuderentur explicatis, ſequuntur alia Monumenta antiqua, ſcil. *Inſcriptiones*, quæ non minus ejuſdem dignitatem oſtendant. Quare, partim e *Reineſii* Syntagmate, partim e *Gruteri* Inſcriptionum Theſauro, has ſequentes collectas exhibemus. Habet (1) *Reineſius*

AESCVLAPIO EPIDAVRO
D. P. P.
ET SALVTI.

Quam in Hortis *Juſtinianis Romæ* eſſe retulit, & hoc modo interpretatus eſt, *Æſculapio Epidauro Deo Pollenti Potenti & Saluti:*

Necnon alteram,

AESCVLA
PIO. ET HY
GIAE. M. AN
TONIUS
SATVRNI
NVS. DC. COL.
V. S. L. M.

Quæ *Salatnæ Tranſilvaniæ* in horto collocatur, & ſic fortaſſe legi debet, *Æſculapio & Hygiæ, Marcus Antonius Saturninus, Decurio Coloniæ, Votum ſolvit lubenter meritoque.*

(1) Claſſe prima. Inſcript. CXIV.

In

In *Gruteri* Thesauro magnus Inscriptionum aperitur campus: Tum *Græcæ*, tum *Latinæ*, *Hygiæ*, una cum *Æsculapio*, ibi cernuntur. Refert quidem *Græcam* esse Inscriptionem, *Messanæ* in *Sicilia*, in summo templo, in basi rotunda nigri Marmoris, intercurrentibus venis obscure albicantibus,

ΑCΚΛΗΠΙΩ	Ἀσκληπιῷ
ΚΑΙ ΥΓΕΙΑ	Καὶ Ὑγείᾳ
CΩΤΗΡCΙΝ	Σωτῆρσιν
ΠΟΚΙΟΥΧΟΙC	Πολιούχοις,

in aversa parte

ΑΙΛΙΩΙ ΑΔΡΙΑΝΩΙ	Αἰλίῳ Ἀδριάνῳ
ΑΝΤΩΝΕΙΝΩΙ	Ἀντωνείνῳ
CΕΒΑCΤΩΙ ΕΥCΕΒΕΙ	Σεβαστῷ Εὐσεβεῖ,
Π. Π.	Πατρὶ Πατρίδος.

i. e. Æsculapio & Saluti *Servatoribus*, *Custodibus Urbis*, *pro Ælio Hadriano Antonino Augusto Pio*, *Patre Patriæ* uti vult (1) *Patinus*.

Ut & *Albæ Juliæ*,

ΚΥΡΙΩ. ΑCΚΛΗ		*Æsculapio & Saluti*,
ΠΙΩ. ΚΑΙ. ΥΓΙΗ.		*Diis Auxiliaribus*,
ΘΕΟΙC. ΕΠΙΚΟΥΡΙΟΙC	i. e.	*Marcus Memmius Longus*
ΜΑΡ. ΜΕΜΜ. ΛΟΝ		*Beneficiarius*, *ex Voto*
ΓΟC ΒΕΝΕΦ. ΕΥΧΗC		*Posuit*.
ΧΑΡΙΝ ΑΝΕΘΗΚΕΝ.		

His porro adjicienda est, omnino vetus Inscriptio tribus Diis Medicis simul, scil. *Æsculapio*, *Saluti*,

(1) In *Antonino Pio*. pag. 179.

&

& Parvulo *Pergamenorum* Deo *Telesphoro* inscripta, *Veronæ* in Sancti *Pauli* Templo inventa,

ΑΣΚΛΗΠΙΩ
ΠΕΡΓΑΜΗΝΩ
ΥΓΕΙΑ
ΤΕΛΕΣΦΟΡΙΩΝΙ
ΘΕΟΙΣ
ΣΩΤΗΡΣΙ
ΠΟΛΙΣ.

Apud eundem etiam Autorem, Latina est Inscriptio, in qua

AESCVLAPIO. ET. HYGIAE
CAETERISQ. DIIS. DEABVSQ
HVIVSQ. LOCI. SALVTARIB
C. IVL. FRONTONIANVS. VET
EX. B. F. COS. LEG. V. M. P. REDDI
TIS. SIBI. LVMINIBVS. GRAT
AG. EX. VISO. PRO. SE. ET. CAPSIA
MAXIMA. CONIVG. ET. IVLIA
FRONTINA. FILIA. V. S. L. M.

Caius Julius Frontonianus veteranus, ex Beneficiariis Consulis, Legionis quintæ Macedonicæ Princeps (1) quia in prima acie dimicaret) *redditis sibi luminibus, ex viso* (i.e. uti per visionem admoneretur) *pro se, & Capsia Maxima Conjuge, & Julia Frontina filia, gratias agit,* Æsculapio & Saluti, *cæterisque Diis Deabusque hujusque loci* (scil. Albæ Juliæ) *Salutaribus, & votum solvit lubens meritoque.*

(1) Vide *Vegetium* de re Militari, Lib. I. Cap. 20.

Romæ

Romæ porro inventa eſt, in ædibus *Caroli Creſcentii* ad Rotundam ſive Pantheum, Ara, cui inſcribitur,

ASCLEPIO. ET
SALVTI.
COMMILITONVM
SEX. TITIVS ALEXANDER
MEDICVS. CHO. V. PR.
DONVM DEDIT.
Domitiano
AVG. VIII
T. FLAVIO SABINO COS

i. e. *Sextus Titius Alexander, Medicus Commilitonum Cohortis quintæ Prætoriæ, donum dedit* Æſculapio & Saluti. *Domitiano* VIII & *Tito Flavio Sabino Coſ.* A. U. C. 834. poſt natum Chriſtum 82.

Utet Inſcriptio, *Neapoli* inventa, in qua cernitur

AELIA. NICE. ET
CALLISTVS MEDICVS.
ASCLEPIO. ET
HYGIAE
DON. POSVERVNT.

Hactenus de *Inſcriptionibus* Deæ *Saluti*, in quantum ea ad unius hominis ſalutem referebatur: Complures aliæ, tum *Græcæ* tum *Latinæ*, in Theſauro *Gruteriano* legantur. Necnon Inſcriptiones SALVTI. PVBLICÆ, & pro SALVTE. ITV. RED. Omnes vero hoc in loco recitare, nimio Lectori eſſet tædio.

E Collegio *Exonienſi*. A.D. MDCCXVI.